

Continetur in Volumine
JURCANI LIDDELI SCOTI

Disputationes,

Theses Logicae

Propositionales Astronomicae de diebus Annorum differentijs

De facultate Vegetante.

De Philosophia ejusq. Instrumentis.

In II. Meteororum de Mixti generatione Diss. I.

In III. Meteororum de Concoctione Diss. II.

Diss. Pathologicarum, I. de Morbis.

II de Causis Morborum in gre.

V.

VI.

IIIX.

Diss. posterior de Praesagijs

de Peste diss. prior.

De Natura et Facultatib. medicamentorum.

De Compositione et Praeparatione medicamentorum.

De Arthritide.

De ratione Purgandi.

De Phlebotomia, Hirudinibus, Scarificatione.

De Febribus Naturae Diss. I.

De Febris II.

De Febris III.

DISPUTATIO
De
MELANCHOLIA,
Quam
D. O. M. A.

Præside

Spectabili ac clarissimo Viro,
Dn. IOANNE SIGFRIDO,
Philosophiæ ac Medicinæ Doctore & Profes-
sore in incluta Iulia, nec non amplissimæ
facultatis medicæ, pro tempo-
re Decano,

A se conscriptam publico examini subijcit,

M. DAVID FINXIVS LVNAE-
BURGENSIS,

*Habebitur 17. Calend. Ianuarij, in auditorio
maiori horis ante & postmeridianis.*

HELMÆTSTAD I,
Ex officina IACOBI LVCI,
Anno clō 1ō CVII.



Magnifico, excellentissimo ac consul-
tissimo Viro,

Dn.

FRANCISCO HVSMAN-
NO, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
ERNESTI, DVCIS BRVNSVICEN-
sis & Lüneburg. Consiliario prima-
rio, fautori & cognato pluri-
mum colendo,

Observantiae ergò,

M. DAVID FINXIVS
Auctor.





Mag.^{co} & cl.^{mo} viro,
FRANCISCO HUSMAN, I. C^{to},
Ill.^{morum} ducum Lunæb. consiliario præcipuo,
amico obl.

S Honorata admodum est, & prædicatur à bonis, vestra HUS-
MANNIORVM familia, in qua exempla virtutum & do-
ctrina prius enituerint, & plura effulgeant hodie: qua de re verbo-
sior esse neq^z velim neq^z debeo, tum quod istic constat omnibus, tum,
ne arte gratiam tuam aucupari videar: quod est à moribus boni viri
alienissimum. Neq^z etiam hoc factò mihi opus sit: neq^z benevolentiam
tamen vestram, in cuius possessione pridem fuerim, repudio:
quin, quod mihi de vobis polliceor, quaeso vos, ut qua me initio fuistis
prosecuti, porro eadem prosequamini. Neq^z verò quidquam petam
præterea: neq^z opus est, quando, quod cupio, pridem ultrò facitis.
Etenim cognatos vestros Finxios, eosdemq^z familiares meos diligi-
tis: siue, quando te potissimum compello, tute eos valde diligis. Plu-
res autem anni sunt, ex quo mihi cum tribus fratribus germanis
Ioannis Finxij, primarij civis Luneburgensis, filijs, notitia, atq^z et-
iam amicitia intercedit. Hunc ego non noueram, neq^z ceteros horum
fratres: patrem autem à pluribus prædicatum laudare verè possu-
mus, qui rei familiari ob numerosam familiam sedulo incumbens,
tamen quot suscepit filios sex, à pueris in litteris educavit: quod pau-
ci, qui in re lauta sint, faciant: ipse videlicet litteris eruditus, idq^z
ab Hermanno Tullichio VVestphalo, gymnasiarcha in ciuitate
Luneburgensi, ut rationem in eo, primo. Erat enim eleganter doctus,
& industrius, & fide plenus, insistsens veterum pueritie informato-
rum non fallentibus vestigijs. Neq^z dum enim fuerant illate præsti-
gia multa nouantium in litteris, quas ille vir, qui veritatis in hoc
genere gustum haberet, integrum, fuisset non minus detestatus, atq^z

nos facimus, fremente inscitia. Ex illius igitur disciplina literatus
prodiens pater sine litteris filiorum educandum neminem putavit:
quod nobile & publicè utile consilium principum reip. quisq; cape-
ret: è qua cura, ut de sumptu nihil dicam, cepit viuus hanc statim
voluptatem, ut alios pulchrè progressos, maiorum exempla minores
sequi ante oculos videret. Filiorum nobis hoc loco familiarium pri-
mus erat Petrus, carus acad. Iuliae, ubi etiam dignitatem medici
cum singulari laude consequutus est: nunc archiatros Comitum Fri-
siae: neq; de ipso agam hic pluribus, etsi mihi in promptu sunt, qui-
bus ille animi bonus est commendatissimus, omnino omni humanita-
te prestans, & doctrina singulari: nec de PAVLO iuvene pererudito,
qui cum hinc ex ingruentibus turbis lenam concessisset, in studio iu-
ris versatus, publica disputatione maiorem de se expectationem con-
citabit, quam facile omnino & maturè sustinebit. De DAVIDE
FINXIO potissimum tecum loquar hac epistola, exorsus ab amicitia,
quae mihi cum ipso haud vulgaris est. Cum enim singularem mihi
familiarium, qui domi meae mecum viuunt, rationem semper ha-
bendam putauerim, quotquot, ubi modestiam probarint omnibus,
toti sint in litteris, & me presente, quotidie de ingenuis disciplinis,
sive mecum, sive inter se conferunt, hos igitur amo praee alijs. Nosti
enim, quemadmodum hoc nobis perpetuum sit, domi autem meae
semper fuit: academicis certè hac cum primis cura esse debet. Venit
ad nos initio cum ijs litteris, quae grauem eruditionem deinceps fa-
cile sustinerent, adolescens ingeniosus, & bonarum artium omnium
sitiens, quas porrò ita perdidicit, ut iusto tempore philosophi hono-
rem obtineret, nobis gratulantibus; simulq; diuinantibus, breui fu-
turum, ut quae ab optimis magistris accepisset, iisdem ingenia opti-
ma breui imbueret: neq; coniectura nos sefellit. Etenim profectus
hinc in ac. Rostochiensem, ex illa iuuentute nonnullos docuit λόγικὰ
dextrè admodum: quod & integrè, & pro re disertè. Hoc libentius
refero, quod ipsum & ad laudem ac. Iuliae facit, quod, qui hic eru-
diti sunt, cupide audiuntur in alijs: atq; idem est pro defensione
aduer-

aduersum maleucos, qui nobis nihil non detrahunt per calumniam.
Cogitans autem ille de certo vita genere, id elegit, quod frater cole-
ret, fundamentis iam è media philosophia positis, & partis alijs ad-
miniculis per necessarios. Nam q³ intelligebat, & difficilem esse viam
& longam ad Aesculapij. Itaq³ ex interuallo se huc recepit, non so-
lum, vt consuetudine notiorum fruere tur, sed quia sciebat, scholam
medicam frequentia & bonitate nulli cedere in Germania, siue
Botavirw, siue avatopulw, siue quamcunq³ partem artis nobilissima
quis spectet. Euenit postea non incommodè, vt, nec tamen absq³ la-
bore, inueniret aliquid commodi. Accersebatur enim ad educatio-
nem pernobilis, & ingeniosi adolescentis ARNOLDI GEBHAR-
DI, STAMMERIANAE familiae, de quo benè mereri posset, atq³
etiam benè meritus fuit. Ita enim disciplina sua abumnum aliquot
annos erudit, vt hic non solum apud nos de subtilibus rebus loque-
retur: immò nos differentes quotidie audiret, interrogatus, & ipse
aliquid ad rem diceret: sed etiam bene exercitus, & satis confirma-
tus ita publicè responderit, vt singularem laudem ab auditorio fre-
quenti reportauit. Quae adolescentis laus in magistrum redundat;
quòd ille huic nihil non acceptum fert, non iniuria. Finxio autem
etsi nouo testimonio opus non erat, quem nos summo etiam hic di-
gnum nouimus: tamen inuitatione mea, siue monitu, in arenam
publicam iterum descendit, sumpsit sanè sibi materiam arduam:
suam quoq³ hanc lucubrationem, vt ad te mitteret, ipse quoq³ feci,
virum auctoritate ac praterius singularibus litteris preditum, de-
niq³ proprijs scriptis celebrem: certè illum in hoc consilio harentem
confirmari. Tuum erit porro iudicium: de meo dubitare iam non
potes: neq³ hoc quemquam fallam, neq³ ipse falli potero. Annum
enim iam quartum vnà viuimus, egoq³ ipsum audiui quotidie ferè,
de multis nec meditatiss, è media philosophia, ipsaq³ arte medica, re-
bus, cum doctis aequalibus eruditè, & ex tempore differentem: neq³
non cum doct.^{mo} DVNCAÑO LIDDELIO, cuius presidio hic ali-
quot annos schola medica potissimum niteretur, vt qui primus ipse

Non vno tamen vnguentoù oleouè superbus,
Qui fera Stentoreis clamoribus implet agyrta
Meq; meosq; adeat, si quis dolor occupet artus;
Non anus, vt lentæ decedant corpore febres,
Deglutire piper longum, custode remoto,
Me iubeat, certa suè notas suspendere collo;
Non alijs multum, quos aut iactantia fallax
Siue superstitione, siue experientia sola
Euehit indignos medicorum nomine, credam.
Me curent quibus & temerè aúsim fidere docti,
Consilio instructos quales decet esse, medendi
Scire modum, causas morborum reddere, vires
Nouisse herbarum, certis rationibus vti
Quando opus est, aegerq; vel aegri poscit amicus.
Quos audis, quorum sequeris vestigia Finxi
Iamdudum, Sophies & diæ cultor hygeias,
Quâ Roseæ surgunt tures, & nostra sororum
Nulli alij cedens meritò se Iulias effert.
Hinc quæ te maneant certissima præmia cernis,
Quæq; Asclepiadôn præstans tibi spondeat ordo.
Mî sat erit vouisse tibi hæc, vbicunq; vocatus
Exercebis eam quam nunc colis impiger artem,
Ne quem pæniteat te consuluisse, suamq;
Aut etiam alterius tibi commisisse salutem,
Terq; æuo functi superes vt Nestoris annos.

Rudolphus Diepholdius Græc.
litt. Professor.

THE



THESIS I.



Nter affectus corporis nostri grauissimos non vltimum sibi vendicat locum is, qui melancholiæ nomen sortitus est: siquidem ab hoc affectu etiam functiones eius animæ corripantur, qua sumus id quod sumus: eaq; licet corpori nostro organico minimè sit alligata, pro læsione tamen ministrantium, eius quoq; functiones grauius læsas apparere, extra dubium ponitur. Et quoniam primariæ actiones, quas ab hoc morbo videl. melancholia, offendi conspicimus, per cerebri substantiam sese exerant, cerebri quoq; affectibus eam rectè annumeramus.

2. Quamuis autem melancholia sumatur aliquando pro ipso affectu substantiam cerebri occupante, videl. pro intemperie eius sicca frigida ab humore fœculento & nigro genita: aliquando pro ipso primario symptomate ab hoc affectu prodeunte, quod est deprauata functio principis facultatis: nomen tamen deriuatum videmus à causa ipsa, nimirum humore vaporeuè melancholico affectum hunc, à quo symptomata proficiscuntur, immediatè causante, quemadmodū id ipsum Gal. 2. Meth. cap. 2. docet.

3. At cum humor melancholicus (vocala generatim sumpta) sit vel fex sanguinis, intemperiem frigidam siccam, cum abundat, aut debito loco non existit, gignere potens; vel atrabilis, quæ etiam in parua quantitate præternaturalis in corpore censetur, diuidere hinc melancholicum affectum licet, in propriè dictam melancholiam & maniam: illa est, quam fex sanguinis creat: hæc verò in quam illa, si fex sanguinis adura-

aduratur calorq; cerebri nimium intendatur, abire ac grauiora symptomata producere confueuit.

4. Sed quoniam in præfenti melancholiam propriè dictam perstringere animus est, fatis congruè, vt symptoma, definitur functio principis facultatis deprauata, siue delirium sine febris cum metu & mœstitia, absq; tamen manifesta longe durante causa, proficiscens ab intemperie cerebri frigida sicca, genita ex humore vaporeuè melancholico cerebrum occupante & spirituum cerebri substantiam peruersa sua qualitate afficiente, nec non obscurante.

5. Ne autem circa definitionem hanc nos quempiam velle dubium tenere videamur, sciendum principem facultatem, quo ad memoratricem, sic minimè lædi, nisi fortè ob innumera phantasmata aliudue accidentarium diminutionem patiatur: quoad rationem depruari quidem, sed ex accidenti; rarò etiam cerebri substantia ad tantam intemperiem hîc eleuatur, vt talis memoriæ noxa imprimatur, ad quam ipsa per se quoq; læsa nonnullis apparet: quoad phantasmam vero eam per se in hoc affectu dicto modo corripitur, vnde rationis error, extra dubitationis aleam ponitur.

6. Locus huius delirij affectus est cerebrum secundum substantiam suam, à qua principes functiones spirituum beneficio primum prodeunt; quæ licet absq; instrumentali iusto apparatu minus congruè exercentur: in radice tamen à morbo quodam similari, qui hoc loco est intemperies frigida sicca, eas labefactari necessum erit, præsertim cum malum nec subito adueniat, nec subito soluatur. Secundum substantiam autem dico, ad differentiam epilepsiæ, in qua cerebrum secundum ventriculos potissimum ab humore vaporeuè melancholico non nunquam tentatur. Hinc secundum Hippocratem melancholici facile euadunt epileptici, si modò humor structuram cerebri inuertat ac ventriculos inuadat: Et

B

contra

contra epileptici melancholici, si nimirum materia melancholica vicem causæ hîc supplens, sese in substantiam cerebri insinuauerit.

7. Porro vt hoc delirij genus à phrenitide, mania, alioque simplici delirio sequestremus, definiebatur cum metu & moestitia. Proprius enim character melancholiæ est, inquit Hipp. 6. aph. 23. vt perpetuò adsit timor & moestitia. Verum cum cordis hi sint affectus id ipsum quoq; in consensum trahi non est dubium, siquidem ad omnem principis partis grauem affectum etiam vitæ principium videl. cor, non nihil compatitur. Sed in causam harum affectionum inquirere non abs re erit, quandoquidem euidentem tam diu durantem nullam agnoscimus.

8. Gal. lib. 3. de loc. aff. c. 7. inquit: Quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauorem inducunt, nisi vel audaces admodum vel docti fuerint: ita atræ bilis color mentis sedem tenebris similem reddens timorem efficit. Etenim summis tum medicis tum philosophis, in confesso est, & humores, & omninò corporis temperaturam animæ actiones inalterare. Ex his verbis, & ex rei veritate certò colligere licet, causam metus & moestitiæ reponendam esse primò in naturam melancholicæ materiæ, deinde in eius nigredinem. Intemperies namq; cerebri frigida sicca ab humore vaporeuè melancholico inducta, spiritus cerebri tenebricosos & obscuros necessariò reddit, ac phantasiam deprauat. Hinc postea metus & moestitia facilè concitatur. Immediata itaq; metus aut timoris causa est phantasia deprauata ab intemperie cerebri frigida sicca, cum obscuratis spiritibus ex redundantia materiæ melancholicæ prognatis, ac ad cor delatis. Moestitiæ verò cum hæc causa perpetua non sit, potius subsistendum nobis esse videtur in denigratis spiritibus cordi communicatis, idq; ad tardiorem spiritus ac caloris contractionem

tionem mouentibus, vnde ægritudo illa mœstitia aut tristitia dicta exoritur.

9. Cognita iam metus & mœstitiæ causa, ex qua etiam ipsius delirij patet proxima, ad paulò remotiores progredi oportebit, quæ sunt vel generantes redundantem melancholiam, vel detinentes eandem. Generantes internæ potissimum sunt sicca totius corporis constitutio aut præcipuarum viscerum, nec non calor intensus, sanguinem deurens, & existens, vel in ipso cerebro, vel in corde, epate, vicinisq; partibus, ex affectibus calidis præexistentibus, derelictus: Externæ sunt ætas ingrauescens, constitutio autumnalis, vigiliæ, curæ, mœrores, calor corpus exinaniens, alimenta crassi succi, terrenæ substantiæ & siccæ qualitatis; qualia sunt brassica, lentescens, caro bubula, leporina, caprina, vetus caseus, pisces fumo indurati, aut sale conditi, aliaq; plura à Galeno 3. de loc. aff. c. 7. recitata.

10. Detinentes vero causæ sunt: primò lien, dictum humorem vel non excernere valens, in quantum erat excernendum, vel non attrahens, idq; ob meatuum obstructionem, aut frigidam eius dispositionem: deinde hæmorrhoidum mensiumq; suppressio, nullaq; aliarum partium repurgandarum honesta occasio. His & aliæ externæ accedunt, assiduus nimirum vsus cibi melancholici, autumnalis constitutio diu durans.

11. Cæterum cum hic affectus in cerebro aliquando permanens, aliquando vero remissâ inferiorum partium irritatione aut iniuria absens conspiciatur, manifestò constat, melancholiam aliam dari per se, aliam per consensum. Illa est in qua cerebrum per *ιδιοπάθειαν* laborat, vbi videlicet humor melancholicus in ipso cerebro, tum à præexistente calida eius intemperie sanguinem adurente gignitur, tum ex diuturna per consensum affectione frigida sicca cerebri intemperie

omnino contracta colligitur, & delirium continuatur.

12. Hæc vero, quæ est cum interpolato delirio per συμπα-
θεσιαν, id est, per materiam aliunde ex intervallo cerebro com-
municatam, idq; labefactantem oboritur, ratione partis
mandantis potissimum duplex æstimatur, quarum altera fit
ex consensu totius, in qua ex toto venoso genere sanguis me-
lancholicus ex obiecti aut facultatis totius seu partis, videl-
icet epatis super calefacti, aut lienis non attrahentis vitio redun-
dans sursum transmittitur, & à cerebro ad recipiendum ob-
debilitatem & raritatem suam disposito, facile arripitur.

13. Altera vero inscribitur melancholia Hypochondri-
ca, siue flatulenta, tum quod ex mandante sub hypochondri-
is collocato malum proficiscatur; tum quia materia in cere-
brum translata, semper sit vapor, qui primum communicari
solet superiori orificio ventriculi; unde nausea, anxietates,
fluctuationes & eructationes; aliquando etiam cordi per ar-
terias, unde palpitatio eius, aut animi deliquia: dehinc per
neruos aut arterias ascendendo, cerebri spiritibus permisce-
tur, ac pro natura sua effectum gignit, phantasiamq; depra-
uat.

14. Verum hinc, ut in omni huius generis malo ex con-
sensu, præsupponimus partis recipientis, quæ per consen-
sum afficitur, debilitatem, cuius beneficio ipsa recipit, & ob-
iecti, quod recipitur vehementiam. Quæ duo quamdiu in
hac ultima specie desiderantur, rectius ipsa meretur no-
men affectus hypochondriaci, quam melancholiæ hypochon-
driacæ, de cuius essentia est, ut & cerebrum afficiatur, & phan-
tasia depraueatur, quod illis absentibus fieri est impossibile.

15. Insurgit autem hic vapor crassus, teter & malignus,
ab humore, in partibus sub hypochondrijs, hoc est, sub sepro
transverso restagnante & exaflato, à phlogosi aliquarum par-
tium, vel ob diuturnam eius moram iuxta hypochondria.

16. Phlo-

16. Phlogosis illa est potissimum in inferiori sede ventriculi, vnde chylus aduritur, aut in vicinis partibus, vt epate, mesenterio, quarum calore tum chymus adustionem contrahit, qui postea ob crassitiem subsidit in ramis venæ portæ, tum chylus adhuc immaturus & ad obstructions venarum mesaraicarum faciendas idoneus, è ventriculo ab epate potissimum attrahitur & exassatur.

17. Mora verò fit, vel in liene ob hæmorrhoidum aliorumq; meatuum, per quos contentus ille terrestris humor expurgandus est, obstructionem, aut ob eius in essentia læsam, siue ab organico affectu impeditam expultricem: vel in ductib. splenicis propter angustiam eorū, aut alteratricē lienis labefactatā: vel in mesaraicis venis ex obiecti errore, aut facultatis ventriculi vitio: vel circiter ex redundantia melancholici humoris vitio epatis genita, quæ à liene dicti humoris receptaculo, tota capi attrahitur, & in vniuersū distribui nequit: vel in vasis vteri ob partium frigiditatem, osculorum venarum angustiam, aut expurgandi menstrui sanguinis crassitiem: vel deniq; in vasis spermaticis, ex quibus præ alijs malignus exsurgit vapor. Quò enim materia genuinam naturam exuens, in corpore nostro existit nobilior, qualis est spermatica, eò euadere consuevit deterior.

18. Quod autem in hac hypochondriaca affectione concoctio naturalium viscerum in progressu potissimum peruersa, simul deprehendatur, fit partim, quod terra, aut maligni in cerebrum migrantes vapores, sensile illud superius ventriculi orificium pertingant, ac non tantum chylificationem labefactent, sed etiam nauseam, vomitus, dolores etiam ad dorsum, cui proxime incumbit pars ventriculi, eiusq; sensile orificium superius, extendentes, aliaq; symptomata grauissima excitent: partim quia humor iuxta hypochondria præ-

ter naturam detentus naturæ visceribus natiuum calorem destruit, ac obiectis improporionatum reddit; vnde flatus tenuos dolores excitantes, & ructus quam plurimos producentes gignuntur, nec non sputū humidū, creberrimæ mictiones, fluctuationes frequētes, à copia serosi humoris in vetriculo vel geniti, vel aliunde transmissi, sæpe percipiuntur.

19. Aluus quoq; aliquando dura redditur, ob epar super calefactum, & cibi nimia appetentia, non rarò ex copia materiæ foeculentæ orificium ventriculi superius corrugentis molestiam creat. Animi vero deliquia ac cordis palpitationes, vt plurimum oboriuntur, comunicatis cordi vaporibus, insurgentibus è materia in arterijs sub diaphragmate adusta aut putrida, existente.

20. Signa melancholicum affectum quæ demonstrant, sunt pathognomica hæc: metus & mœstitia absq; manifesta durante causa, & deliria sine febris. Cogitant enim ægroti vel loquuntur, aut efficiunt absurda longeq; à ratione & consilio abhorrentia, eaq; varia, pro naturâ humoris materiæ melancholicæ admisti & corporis dispositione, vt etiam pro vitæ studio. Melancholiæ namq; bili commistâ, deliria apparent cum risu; pituitâ adiectâ, cum segnitie & diminuta quadam mentis functione; melancholiâ existente purâ, cum peruigilio & mœstitia notabili; ex permistione flatuum alio uè obiecto, quidam se capite carere, aut nates vitreas habere aliaq; ridicula sibi persuaserunt. Sic quoq; variantur deliramenta ob corporis dispositionem melancholicam, pituitosam, sanguineam & biliosam. Sed hæc omnia dignoscuntur & patefiunt, ne dum per modò dicta signa tantum, quæ affectum aut temperaturam corporis insequuntur, sed etiam per causas procatarticas supra recitatas, quæ etiam signorum rationem habent, licet etiam antecedentem causam in actum deducant.

21. Affe-

21. Affectum autem hunc esse primum, siue per essentiam, ostendunt deliria cum metu & mœstitia potissimum continua, cumq; oculis in rem aliquam fixis & cogitationibus profundis: Deinde somnus breuis, qui ob praua insomniam sæpè interruptitur, aliaq; melancholica *τεμνῆρα* circa caput sese exerentia.

22. Ex consensu vero totius malum obortum dicimus, ubi eius per interualla exacerbationes deprehendimus, habitum corporis planè melancholicum videl. siccum, hirsutum, ad nigredinem vergentem, venas melancholico humore restagnantes, quod Gal. 3. de loc. aff. c. 7. per phlebotomiam exactè cognoscendum esse innuit. Huc etiam plurimum facit, si inquiramus in causas procatarticas dictum humorem gignentes.

23. Hypochondriacam melancholiam arguunt deliria interrupta cum symptomatis, à vaporibus ascendentibus circa ventriculum concitatis, quæ ex præcedentibus cognita habemus. Apparent autem ea plerumq; à sumpto cibo; ac vomitu, ructibus, alui solutione, aut peracta concoctione mitescere consueuerunt: Præter hæc affectum hunc prodit ardor in præcordijs, quæ sursum conuelli aliquando solent à crebris vaporibus diaphragma, tanquam primum aliquod respirationis instrumentum, molestantibus, vnde etiam ipsa respiratio quodammodo læsa apparet: Aliquando fontem mali commonstrant sensus grauis, dolor obscurus, tensio circa lienem & epar, suppressio mensium, & spermatis retentio circa vterum, & vasa spermatica.

24. Mœror & timor immodicus longo tempore perseuerans, melancholicam insaniam portendunt & denunciant. Quid autem de morbo iam præsentem ægrotum infestante medicus sibi polliceatur, præfagire licet ex viribus ægrotantis, ac affectus magnitudine. Debilitas enim virium animalium

lium minatur epilepsiam, aut apoplexiam; vitalium animi deliquia; naturalium hydropem, scorbutum, atrophiam, si nimirum malum ex consensu partium hypochondriacarum fuerit. At robur earum partes principes ab iniuria horum membrorum facile vendicabit, ne modo affectus cerebri substantiæ essentialiter inhæreat, & veluti in naturam eius conuersa fuerit.

25. Nam melancholia per *idiomptidesiam* & inueterata, curatu est omnium difficillima, & sæpe etiam in maniam per melancholici humoris adustionem, transit. At periodica facilius curatur, præsertim si adhuc recens nata fuerit, sic etiam illa, quæ deprehenditur cum risu, à qua longissimè distat, quæ est cum desperatione. Deniq; ex melancholia delirantes, quibus hæmorrhoides, aut varices superueniunt, cum Hipp. l. 6. aph. 11. & 12. salutare pronunciamus.

26. Curandi porro modum in præsentī affectu præscribunt nobis potissimum hæc duo indicantia, videlicet morbus ipse, & eius causa. Symptomatum vehementia vires, quæ indicantium generalium dant tertium, prosternens, ab ordinaria curatione nos tantoperè non auocat; rarò enim hîc tanta apparet, vt rationem habeat causæ maioris mali. At symptoma quatenus symptoma curationem, vr nec indicat, ita nec postulat, siquidem ad morbi destructionem vnà symptomata tolluntur. Vehementia autem si fuerint, viresq; debiles extiterint, illa adæquato medicamine mitiora reddantur; hæ refocillentur, ne remouendo morbum causamq; morbificam, quod sine ope illarum perfici nequit, porro dissoluantur, præsertim cum in virium conseruatione vita consistat, & non minima pars curationis, teste Gal. 9. meth. c. 9.

27. Cum autem morbus hic sit intemperies cerebri frigida sicca, & indicatum indicanti, id est morbo causæq; eius semper contrarietur, corrigenda illa erit calefacientibus & hume-

humectantibus. Verum quia medendi methodus iubet, vt quod in deliberatione est primū, in remotione sit vltimum, prius causam, quæ morbum hunc fouet, abscindere oportebit, quàm morbi euerfionem moliri.

28. Abscinditur autem dum materiæ peccantis redundantia è corpore tollitur, in caput influens reuellitur, partes eam generantes & detinentes corriguntur, & obstructæ referuntur, in caput influxa ac in venis adhuc existens materia per partes vicinas deriuatur; extra venas non impacta particulatim educitur, impacta discutitur: Hinc tandem sequitur ipsius morbi videlicet intemperiei frigidaë siccaë emendatio, & caloris natiui recipientis, vt etiam mittentis partis corroboratio. Quæ omnia perficiuntur hac instrumentorum materia, nimirum Cheirurgiâ, Pharmacâ & Diætâ.

29. Chirurgia consistit potissimum in phlebotomia, quæ si malum fuerit ex consensu totius, id est, ex redundantia humoris melancholici in toto, instituat in vena communi & quidem satis largè, modò sanguis niger appareat, & vires tolerant, idq; in initio (præmissis tamen clysmate) tum euacuationis tum reuulsionis gratia. Quod si redundantia causa fuerit vitium lienis aut epatis, non abs re erit, ob rectitudinis consensum, qui intercedit, per lienariam aut hepaticam partem mandantem ab onere noxij humoris liberare. Sin v. mensium percipiatur suppressio, conuenit secare venam tali, si hæmorrhoidum, hyrudinibus referentur; harum enim prouocationi præ alijs præsijs incumbendum est, quo sublato vitij fomite facilius ei, quod factum est, occurrere liceat. At malum, quod cerebro est essentielle, nisi extiterit cum quadam redundantia humoris & viribus validis, cephalicam resignari non perfert, vt nec hypochondriaca affectio medianam, aut pro differentia partis mandantis venas brachij, quæ aliàs resignandæ sunt, ne portio redundantis materiæ

ad

C

ad

ad partem debilem procumbat, aut ardor in præcordijs au-
geatur, qui etiam venæ sectione quodammodo contempera-
ri consuevit. Deriuatio autem, si adhuc opus sit, instituat
sectâ venâ frontis aut narium, vel admotis scapulis cucurbi-
tulis cum scarificatione, quibus iusto loco positis etiam vi-
cem venæ sectionis viribus debilitatis suppleant. Aliquando
etiam cauteriorum vsu, post sufficientem euacuationem to-
tius materia deriuanda venit.

30. Cum autem phlebotomia non semper conueniat,
neq; sola noxium humorem ubiq; auferat, ad pharmaca pro-
grediendum; & primum quidem ad catarctica, quandoqui-
dem humoris qualitate potius peccare dicendus est, quam
quantitate. Sed ne in 22. aph. lib. 1. Hippocratis peccemus,
vbi corpora, quæ purganda sunt, prius fluida facere præci-
pit, præparatio propter euacuationem dicta, quâ obstructæ
viæ referuntur, humor viscosus crassus attenuatur & incidi-
tur, omninò erit præmittenda, videlicet decoctum radicum
capparorum, thamarisci, thymi, polypodij, cuscutæ, me-
lissophylli, fumarix, buglossæ, borragiuis, violæ, nymphæ,
Glizyrrizæ, cichorij, petroselini, foeniculi, vuarum passa-
rum, &c. Cum syrupo scolopendriæ, fumarix de lu-
pulis, de corticibus citri, de epithymo, de polypodio, de
melissa, de pomis, de succo borrag. bugloss. violarum, deq;
alijs eius generis à mitioribus ad validiora progrediendo.
Quæ omnia pro partium affectarum varietate, humorum
qualitate, ægrotantis ætate ac temperatura varianda & mu-
tanda veniunt.

31. Præmissâ præparatione purgatio iam inchoanda e-
rit, & quidem à leuioribus, ne natura fortioribus initiò sol-
licitata, eorum violentiâ ac malignitate congenitâ, (qua per
se non parum de substantia caloris nostri natiui deperditur)
succumbat: neue leuioribus parum aut nihil promouenti-
bus

bus omninò in curatione subsistendum sit, sed vt ad alia maioris efficaciam medicamina adhuc transgredi liceat.

32. Sunt autem leuiora vel simplicia, vt folia senæ, myrobalani Indi, polypodium, fumaria, Epithymus: vel composita; vt diacatholicum, diasena, syr. rosarum solutius, de pomis comp. de fumaria, quæ ex indicantium varietate cum superiori decocto variè misceri poterunt. Fortiora vero sunt decoctum hellebori nigri, aut extractum eius, confectio Hamech; Hieralogodium, quibus, si malum fuerit per essentiam, accedunt pilulæ Indæ, cochix, de lapide Lazuli, de lapide armeno, quarum vsum tamen in melancholia ex consensu totius formulis pharmacorum liquidioribus postponimus, siquidem morbo causæq; morbificæ in eo non contrariantur, quod vim exsiccandi coniunctam habent. Atamen in melancholia, quæ capiti est essentialis, id non respicimus, cum attractio peccantis materiæ è longinquis melius perficiatur formâ solidâ quam liquidâ.

33. Vomitoriorum vsum in affectu essentiali & ex consensu totius cum Hipp. 9. aph. sect. 4. reijciendum censemus, ne, dum difficulter hic quidquam euacuatur, materia magis ad caput promoueatur, quæ in contrarium potius reducenda & per inferiora, quo crassus ac terrestris ille succus per naturam inclinat, euacuanda venit, ni fortè nonnihil humoris peccantis in ventriculum regurgitet, ac cruditates in eo congerantur, ægerq; ad vomitum pronus conspiciatur, tunc enim Auicen. l. 3. fen. 1. tract. 4. merito est audiendus. Ob melanagogorum autem plus iusto exsiccandi calefaciendiq; vim, quam coniunctam ipsa habent, & ob humoris pertinaciam, qui confertim educi nequit purgatio subindè repetatur, ac viribus periclitantibus per *Ἰππεροσόν* administretur. Semper enim purgantibus humectantia ac spiritus partesq; principes rescipientia permisceantur.

C 2

34. Vni-

34. Vniuersalibus euacuantibus prætermiſſis, particu-
lares valdè sæpè ſunt noxiæ. Dum n. per partem affectam
noxium humorem euacuare conamur maiorem eius copiam
ex vniuerſo attrahimus, ac ad partem affluentem magis af-
fluere facimus, vnde etiam magis affecta redditur. Nulla igitur
per partem notabilis admittatur euacuatio, niſi corpore
exiſtente puro, ac humoribus in partem affectam affluere ad-
ſuetis iam quieſcentibus.

35. Sunt autem particulares euacuationes vel ſenſiles,
vt apophlegmatiſmi & Errhina: vel inſenſibiles, vt diſcui-
entia aut reſoluentia per poros cutis: His inſurgimus contra
materiam parti iam impactam; illis contra eandem, ſed flu-
xioni adhuc aptam, quorum materiam vt & alia plura breui-
tatis cauſa omitto.

36. Ad diſcutiendum & reſoluendum materiam parti
impactam, primò conducunt & ſummopere à Galeno com-
mendantur, balnea aquæ dulcis ex decoctionibus anthos,
meliffæ, ſtæchadis, borraginis, bugloſſæ, violæ, nymphæ,
maluæ, althææ, chamomel. meliloti, ſem. lini, foenugræci,
vbi opus erit etiam cap. aut fol. papa. cum fol. mandragræ
gratiã conciliandi ſomnum. Horum enim vſu cutis pori a-
periuntur, ac id quod noxium intùs exiſtit ad ſuperficiem al-
licitur, & vt humores meliùs contemperentur, viſq; ſimpli-
cium altiùs penetret, torrentis ritu caput iſdem decoctioni-
bus irrigetur. Sed vt vires priùs reſiciantur calorq; natiuus
contra diſcutiendam materiam quodammodo armetur, con-
ducit ante balneorum vſum frui Electuario de conſeru. bor-
rag. bugloſs. nymph. anthos, ſampluchi, rad. Scorzonetæ
condit. ſpec. Latific. de gemmis, diamarg. frig. Diamoſchi
dalc. Compositionis alchermes, reſumptiui, mithrid. the-
riaca, quibus ſyr. de pomis redol. roſis & violis permiscen-
tur.

37. De-

37. Dehinc de rasis capillis, pulli gallinacei recens dissecti vel pulmones ex ariete adhuc calentes deprompti admoveantur capiti, egregiè enim discutiunt ac tonum per poros cutis apertos, ob non valdè dissimilem calorem communicatam, cerebro restitunt. Quod etiam præstat agnus per dorsum disruptus & exenteratus capiti statim impositus.

38. Horum omnium usum excipit inunctio frontis ac temporum oleo amygd. dulc. violar. chamælenæ, quibus, si per vigiliam persentiscas, affundatur parum de oleo papaue-
ris & sem. lactucæ. Sed huic symptomati etiam mederi licet philonio aut laudano quodam opiato. Ut autem fuliginosis vaporibus magis exitus è cerebro pateat, quidam trepano Cranij densitatem minuunt. Deniq; ut robur affectis partibus concilietur, moeror & tristitia, variæ imaginationes dissipentur, ac serenitas animi reparetur, lætificantibus medicamentis utendum, qualia sunt: Ele. de gemmis, confectio alchermes, diamarga. Diamosch. dulce, diambra, dianthos, pleres archonticon, manus Christi perlati, solutio margaritarum &c. Etiam cordis epitemata non sunt negligenda ex aq. buglossæ, boraginis, violarum, nymphææ, vino odorifero, behen rubro & albo, corall. rubris, ambra, nuce muscata, caryophyllis, folijs melisophylli &c. Atq; sic progredi convenit in melancholia per *ιδιοπάθειαν* & per consensum totius.

39. In hypochondriaco vero malo sanguinis copia, si quæ cum epatis caliditate præsens, per phlebotomiam post usum enematis diminuta, partis mandantis curationem, quæ sola hîc nobis multum facessit negotij, imprimis aggredi oportebit, nisi enim fontis scaturiginem sustuleris prouentum aquæ vix prohibebis. Proinde quod in ordinaria curatione hîc omnium primum duco, materia obstruens aut eius mora, vndè exit vapor qui in cerebrum transmeat, in quacunq; hypochondriorum parte illa fuerit, venit auferenda, phlo-

gosis partium corrigenda, vapores ac flatu ex deficiente & improporcionado viscerum calore prognati, discutiendi (quibus tamen, si, ingentes cruciatus excitati, vires dissoluerint, carminatiuo aut cucurbitulis cum insigni flama, neglectis præmissis, erit primo occurrendum.) His peractis robur non tantum parti mandanti, sed etiam recipienti, id est, cerebro, superiori orificio ventriculi ac cordi reparetur: Illic ne materia vaporesq; amphius generentur: hinc ne ob reluctantis caloris in parte debilitatem facile recipi admittatur.

40. Phlebotomiæ, si qua opus, præmittatur semper enema aut leniens aliquod. Dehinc consueta euacuationes, videl. hæmorrhoidum & mensium suppressæ, vt supra docuimus, moueantur, præsertim cum per eiusmodi vias natura detrudente melancholicum succum non raro teste Hipp. l. 6. aph. 11. & 12. insaniam fiat solutio. Sed cum hoc pacto non semper aut minus perfecte peccans materia tollatur ac è primis vijs vix quicquam cum commodo magno educatur, vsum purgantium imprimis hinc commodatum habeamus.

41. Verum cum & hoc loco potissimum Hippocrates concocta purganda esse moneat, ne, conantes crassum & minimè attenuatum aut incisum succum educere, primas vias magis obstruamus, ac maiores molestias siue cruciatus ab humore ob exitum sibi prohibitum exagitato concitemus, præparantia supra recitata hic repetantur, ac deinde maxima purgantium pars, cum quibus tamen semper phlegmagoga, flatu discutiencia magisq; incidentia & attenuantia aliaq; pro humorum peccantium qualitate & partium affectarum conditione permiscere oportet, idq; ob materiæ obstruentis crassitiem ac insignem flatuum cruditatumq; copiam, quæ assidue in hypochondrijs contrahuntur.

42. Cum autem in præsentis negotio obstructioni potissimum occurrendum sit, superioribus deobstruentibus & hæc adden-

addenda sunt, videlicet absinthium, centaurium minus, rad. gentianæ, aristolochiæ rotundæ, polyp. chamæd. chamæpith. hysopum, adiantum, calamus aromaticus, marrubium, pulegium, ageratum, agrimonia, matricaria. Deinde pro conditione mali vrgentis semen anisi, foeniculi, cumini, ocymi. Item, Cichoria, endiuia, plantago, portulaca, borrago, buglossa. aliaq; epatis caliditatem, si qua præsens, contemperantia.

43. Præparationem, vt supra, excipit purgatio conueniens, quæ quantitatem humoris præparati non excedat. Vtraq; per vices reperatur, aut simul assumatur. Tentanda quoq; erit materia obstruens decocto veteris galli nonnullis incidentibus ac referentibus infarti. Præ reliquis etiam melancholiæ speciebus in hac potissimum conueniunt, Vomitoria ex decocto raphani aut veratri, si modo æger assuetus & vires ferant. Antimonium nisi ritè præparatum & in exigua quantitate robustis, vbi materia educenda nimis est contumax, administrari queat, potius fugiendum.

44. Post hæc commendatur vsus pilularum obstructiones referentium ex trochisc. de capparibus, de absintho, de lacca, de eupatorio cum extracto centaurij minoris, gentianæ, aristolochiæ rotundæ, pauca quantitate salis absynthij, & de quibus deglutiuntur singulis diebus 4. vel 5. iustæ magnitudinis ante pastum cum haustu iulepi ex oxysacharo comp. Syr. de byzantijs, de cort. citri, aq. absynthij, foeniculi, cuscute, agrimoniæ.


45. His dum vtimur, non seponantur prorsus purgantia. Inter alia propinatur etiam in epatis gratiam rhabarbarum cum agarico trochiscato infusum colaturæ ex sero lactis cum decocto aperitiuo ac florum & fructuum. Non absq; ratione & experientia probantur in hoc affectu diuretia. De helleborismo decernendum erit ex conditione ægrotantis, comendatur autem à multis ipsius Matthioli. Neq;

46. Neq; interim negligantur viscerum & cerebri corroborantia, flatus discutientia, quibus adhuc commisceri licet anostomatica. In hunc usum conficiuntur Electuaria ex conser. absinthij, agrimonix, borraginis, buglossæ, spec. diagalangæ, dianthos, diacumini, diarhodon abb. diamoschi, elect. lætifi. Galeni, de limatura chalyb. troch. de eupatorio, de capparibus, cornu cerui vsti, rasura eboris, corticibus citri, &c. his, necessitate urgente, adijciantur & alia quæ phlogosin partium auferunt partemq; affectam respiciunt. Deniq; peccantis materiæ reliquias Auicenna etiam discutientas esse probat magnis antidotis, quibus accedunt medicamenta è chalybe.

47. Tandem in precio meritò habentur & topica hæc: Primùm ventriculi, qui sæpè inter alias partes summoperè patitur, inunctio ex oleo mastichino, nardino, stomachali, permissis oleis destillatis nucis myristicæ, Caryophyllorum, anisi, foeniculi, cumini, cinnamomi &c. Et vt celerior ac altior horum fiat penetratio, præmittatur fomentum modicè rarefaciens. Deinde regioni ventriculi appropriatum imponatur. A sumpto cibo puluere stomachali ventriculus ad concoctionem & cibi complexum componatur, ne inter cibum & ipsum vacuum intercedat, quod concoctionem retardat, aut cibum corrumpit inq; flatus conuertit. Deniq; epatis & lienis cura non leuis est gerenda, nam & hæc convenientibus medicamentis extrinsecùs foueantur.

48. De curatione huius mali ex consensu vteri, ac de formulis medicamentorum huc conducentium quam plurimis, vt etiam de diæta praticos consuli velim, vbi hoc tamen dixerim, eam oportere morbo causæq; morbicæ esse contrariam ac temperamento similem.

F I N I S.





hanc officina publica, ante...

99 A 6903

(Nr. 24
nicht)

(25 Handschrift)

(9)

ULB Halle 3
002 636 220




(Nr. ~~24~~)


VD17

TA-OL





46.



DISPUTATIO
De
MELANCHOLIA,
Quam
D. O. M. A.
Præsides

Spectabili ac clarissimo Viro,
Dn. IOANNE SIGFRIDO,
Philosophiæ ac Medicinæ Doctore & Profes-
sore in incluta Iulia, nec non amplissimæ
facultatis medicæ, pro tempo-
re Decano,

A se conscriptam publico examini subiicit,
M. DAVID FINXIVS LVNAE-
BURGENSIS,

*Habebitur 17. Calend. Ianuarij, in auditorio
maiori horis ante & postmeridianis.*

HELMÆTSTAD I,
Ex officina IACOBI LVCI,
Anno clō lō cvii.

